ORATIO

IN

SOLLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

AB

ANDREA FERRIGNI DE PISONE

METROP. ECCL. NEAP. CANONICO THEOLOGO

ATQUE IN REGIO ARCHI-GYMNASIO NEAPOLITANO

SACRÆ SCRIPTURÆ INTERPRETE

HABITA

IN ÆDIBUS EJUSDEM REGII ARCHI-GYMNASII

IV. KALENDAS DECEMBRES ANNI MDCCCLIV.

NEAPOLI

TYPIS EXCUDEBAT PHILIPPUS SERAPHINUS

1855

ORATIO

Ut primum cognovi, munus mihi demandatum fuisse, hoc anno Orationem de more in sollemni studiorum instauratione, coram tot tantorumque litteratorum virorum consessu habendi (quod quidem prae virium mearum imbecillitate, proque ingenii mei tenuitate facere refugiebam), statim animo revolvere coepi, quodnam argumentum in ea pertractandum seligerem. Equidem ingenue fateor, nonnihil negotii hanc mihi thematis electionem dedisse. Quamquam enim complura sint quae ad rem in medium proferri possent, ii tamen, qui antehac ejusdem officii partes expleverunt, summa viri doctrina, atque eloquentia praediti, praeclara quaeque, ac magnifica suis Orationi-

bus argumenta sunt disertissime persecuti; adeo ut in quamcumque me partem vertissem, nihil fere occurrere posset, quod non illi doctissime praeoccupassent. Atque egomet alias, nonnullis videlicet abhinc annis, cum et mihi idem onus impositum fuisset (cui ceteroquin ferendo impares erant vires), de scientiarum, litterarumque utilitate ac praestantia pro virili parte disserui; quo adolescentes alacri animo studiorum curriculum per aestivas ferias interceptum, ipsorum amore allecti rursus adorirentur. In quo igitur argumento altera haec mea versaretur Oratio, non sine animi anxietate ac sollicitudine quaerebam. Verum cum jampridem in quorumdam sciolorum animis eam inhaerere praejudicatam opinionem perspexissem, Christi Religionem scientiis disciplinisque impedimenta, ac veluti quosdam compedes injecisse; optimum fore consilium arbitratus sum, hanc impactam calumniam hodierna sermocinatione propulsare. Id ut assequar, et falsam criminationem contraria assertione obtrudam ac rejiciam, Christianam Religionem omnibus scientiis disciplinisque incrementa dedisse, evincere conabor. Quod sane argumentum et mihi, et vobis, qui huc convenistis, Adolescentes, valde opportunum esse censeo: mihi quidem, ut quam nactus sum spartam, hanc ipsam excolerem, atque exornarem; vobis autem, quia si

amore erga Christi Religionem illecti, pietatem, quam ipsa fovet, cum studiis litterarum conjungetis, fructus mox uberrimos procul dubio adferetis. Vos vero, sapientissimi Professores, aliique gravissimi ornatissimique viri, qui hic adestis, ut meum condecoretis Sermonem, utque meis dictis fidem auctoritatemque concilietis, vos, inquam, oro obtestorque, ut hanc qualemcumque Orationem, haud quidem calamistris inustam, aut latini sermonis leporibus, vel eloquentiae scitamentis refertam, sed rudem, et inconcinnam, vestra humanitate, ac benignitate sublevetis.

Neminem vestrum latere arbitror, Auditores optimi, Christianam Religionem jam inde a suis incunabulis studia litterarum, disciplinasque omnes minime refugisse, aut sprevisse. Et sane: humana enim ratio, ex qua universae naturales scientiae dimanarunt, est quaedam, ut ita inquam, ipsius Divinae rationis ac sapientiae communicatio: quamobrem neque falsum esse potest quod clare per rationem cognoscitur, neque illi Divina Revelatio potest esse adversa, ut docet S. Thomas in *Libro I. contra Gentes. Cap. 7.* Quamquam autem Christiana Religio plura proponit mysteria, quae sunt humanae rationi impervia, captumque hominis excedunt, tamen quum evidentissimis rationum

momentis adstruat, ea fuisse ab ipso Deo revelata, qui fallere ac falli nescius est; hominem, ratione duce, ad illam amplectendam ferri, nemo inficias ibit. Quapropter scientiae omnes ac disciplinae, quae ab ipsa sunt ratione profectae, non modo huic Religioni concordes sunt, sed et viam ei sternunt, et munimen ad ipsam defendendam constituunt. Hinc ab ipsis Ecclesiae primordiis plures Christiani cum illius aevi Philosophis congredi non dubitarunt, atque integras Apologias ad hujus Religionis Divinitatem propugnandam scribere et evulgare sategerunt. Tales fuerunt Aristides, Quadratus, Tatianus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Minucius Felix, Melito Sardicensis, aliique. Fusius S. Justinus, qui et ipse Philosophus erat, etiam antequam Christianam Religionem amplecteretur, duabus Apologiis, una scilicet ad Senatum Romanum, altera vero ad Imperatorem Antoninum Pium, necnon Oratione Paraenetica ad Gentes, aliisque suis scriptis, disertissime, ac sapienter Ethnicos falsorum Numinum cultores profligavit, et Christum Deum esse, ejusque Religionem ad salutem necessariam demonstravit. Id praestitit etiam Arnobius, ejusque discipulus Lactantius Firmianus, qui tamen ut latius argumentum persequeretur, Christianamque tuc-

retur Religionem, praeter alia scripta, opus *Divinarum Institutionum* titulo praenotatum, septemque libris distributum elucubravit, ibique Polytheismum, aliosque falsarum Religionum errores distincte, atque ex ordine refutavit. Jam vero haec Opera sunt omnigena eruditione referta, quandoquidem propugnatores illi ex omni ferme doctrinarum genere argumenta ad errores revincendos desumebant. Porro quantum inde emolumenti omnes diversi generis scientiae ac disciplinae sibi arripuerint, nemo est qui non videat. Quis enim tractare haec diu multumque potest, quin omnis doctrinae, omniumque litterarum cognitione auctus ornatusque discedat? Exemplo sit Tertullianus, qui ut erat Jurisconsultus, formulas juris adhibuit, atque argumentis in Jurisprudentia receptis usus est ad hostium fidei ictus repellendos; idque videre licet tum in *Apologetico*, tum in aliis suis Operibus, quae dum Catholicus erat composuit, praesertim vero in aureo ejus Libro *de Praescriptionibus*, seu (ut alii Codices habent) *de Praescriptione*. Huc accedit, quod Religionis hostes, contra quos illi causam fidei agebant, quum adversus eam unde unde argumenta deprompserint, atque ex omni disciplinarum genere objectationes ad eam evellendam intorserint, ipsis opus erat ad ad-

versariorum ictus repellendos singulas percurrere scientias, omnesque diversi generis doctrinas evolvere, ut videre est in libris, quos contra Celsum scripsit Origenes, atque in Apologia fidei, quam contra Julianum Imperatorem apostatam adornavit S. Cyrillus Alexandrinus. Multa de diversi generis argumentis dedita opera pertractat immensa eruditionis congerie Clemens Alexandrinus, praesertim in suis *Stromatis* (seu Miscellaneis). Atque haec quae protuli (si Cyrillum tantummodo excipias) ad tria priora pertinent Ecclesiae saecula. Saeculo IV. admiramur Eusebium, qui in suis Operibus, praesertim vero in *Praeparatione Evangelica* plura posteritati transmittit excerpta ex vetustioribus Scriptoribus tum Philosophis, tum Historicis, tum Oratoribus, quorum Opera ad nos usque minime pervenerunt, nihilque ex eis superesset, ne nomen quidem Auctorum, nisi Caesariensis ille Episcopus praecipua ex eis colligere, exscribere, ac nobis tradere sategisset. Saeculo V. inter innumera Augustini Opera, quorum major pars ad Sacram Scientiam pertinet, non pauca sunt, quae in aliarum disciplinarum argumentis versantur; ut *de Grammatica*, *de Dialectica*, *de decem Categoriis*, *de principiis Rhetorices*, *de Musica*, *contra Academicos*, *de ordine*, *de immortalitate ani-*

mae, *de quantitate animae*, et alia. Silentio praetereo (ne longum faciam, vosque taedio afficiam) Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, sicut et Athanasium, Basilium, Gregorios Nazianzenum et Nyssenum, Epiphanium, aliosque, qui quantum ad litteras sive humaniores, sive severiores contulerint, ex eorum, quae adhuc supersunt, Operibus satis abunde patet: quae enim heic memoro, tantummodo speciminis ergo me in medium afferre profiteor. Saeculo VI. occurrit Severinus Boëtius, qui praeter theologica scripsit *de consolatione Philosophiae* libros quinque, partim carmine, partim prosa eruditissimos: atque alia etiam de aliis philosophicis argumentis elucubravit Opera, inter quae eminet insignis ille *de Musica* Tractatus, in quo Pythagorae, Aristoxeni, Ptolemaei, Nicomachi, Aristidis Quintiliani, aliorumque Graecorum Philosophorum doctrinas de Musica exponit, suis quoque ad rem additis illustrationibus, atque acutissimis demonstrationibus. Occurrit etiam eodem saeculo Aurelius Cassiodorus, qui praeter Commentaria in alios atque alios Sacrarum Scripturarum libros, edidit breve Chronicon ab initio mundi usque ad tempus Theodorici regis Italiae: scripsit quoque libros duodecim de rebus gestis Gothorum, quos quidem libros in compendium redegit Jornandes,

seu Jordanus, Ravennae Episcopus: Historiam, quam *tripartitam* inscripsit, adornavit ; ac libros duos composuit de *Institutionibus rerum Divinarum atque humanarum*, ubi distincte agit de septem disciplinis, quibus tunc temporis constabat celebre *Trivium* et *Quadrivium* (sic eas institutiones vocabant), videlicet de Grammatica, de Dialectica, de Rhetorica, de Arithmetica, de Geometria, de Musica, et de Astronomia. Eodem quoque Saeculo occurrit Gregorius Turonensis Episcopus, qui praeter alia Opera, decem edidit libros de rebus gestis Francorum, qui quantum historiam illius gentis illustrarint, norunt Historici omnes, qui ex iisdem Annalibus multa hausisse profitentur. Missos facio Procopium Gazaeum, Evagrium, aliosque. Saeculo VII. S. Isidorus Hispalensis in Opere quod *Etymologiarum*, sive *Originum* inscripsit de omnibus fermè scientiis ac disciplinis distincte atque ex ordine agit, singularum summam, ac veluti medullam exponens, et praecipua cujusque earum vocabula declarans. Omitto quae eidem Auctori a quibusdam tribuuntur, ut Historiam Vandalorum, Historiam Svevorum, Chronica Gothorum, Chronica ab initio mundi, usque ad annum quintum Svinthiliani Regis Gothorum, et alia. Saeculo VIII. Venerabilis Beda presbyter Anglus om-

nes disciplinas ac scientias admirandum in modum promovit auxitque, idque tum ipsis theologicis scriptis, in quibus obiter pro re nata etiam naturales doctrinas attingit, tum praesertim in iis, in quibus a carceribus (ut ajunt) ad calcem usque de his postremis agit. Ea quippe fuit eruditione, ut de omnibus ferme scientiis ac disciplinis disseruerit. Scripsit librum de natura rerum; alterum de substantiis elementorum; insuper Philosophiae libros quatuor; ad haec de temporum ratione; de sex aetatibus mundi; de temporibus ad intelligendam supputationem temporum Sacrae Scripturae; de Paschate, sive de aequinoctio; praeterea sententias excerptas ex Cicerone, et Aristotele; de linguis gentium; de oraculis sybillinis; descriptionem topographicam de urbe Hierusalem; tandem plura ad Grammaticam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, Musicam, aliasque disciplinas pertinentia; quantumque inde accessionis atque incrementi ex ejus Operibus, praesertim rei Astronomicae obvenerit, norunt Eruditi. Itidem et apud Graecos eodem Saeculo occurrit S. Ioannes Damascenus, qui praeter plura Sacra Opera, optia mos praestantesque de Logica, ac de Physic- tractatus elucubravit.

Deficeret me tempus, aut nimium, quam par

esset, mea excurreret oratio, si omnes et singulos commemorare vellem Ecclesiasticos Scriptores, qui naturalibus etiam disciplinis incrementa addiderunt. Quare hac praetermissa, aut tantisper intermissa Scriptorum serie, alia heic adjicere atque in medium proferre aggredior rationum momenta, quae meam comprobant assertionem. Quis enim ignorat, plurimos per Christi Religionem excultos, ea occasione unum exinde, aut alterum disciplinarum genus felici successu excoluisse? Quid, quod integrae nationes, populi, et regna, Christianae Religionis beneficio in sortem politiorum gentium transiere? Hujus rei vel unum sufficeret exemplum afferre, quod nimirum initio V. Saeculi praestitit Gregorius Armeniae Pontifex, qui postquam Armenos Christi fide imbuisset, populum illum antea incultum, rudem, ac barbarum excoluit, instruxit, erudivit, apertis undique per Armeniam scholis, undique gymnasiis exstructis, ut propterea appellatus fuerit *Illuminator*; atque ita non modo Armenis, sed et Persis, Assiriis, Unnis, et Medis profuerit, sicque eisdem aditum ad Christianam Religionem amplectendam patefecerit. Quin ex multorum sententia ipse Armeniacum etiam Alphabetum condidit induxitque; sed et Auctores, qui Gregorio inventionem characterum Armenorum abjudicant,

eam tribuunt Sancto Joanni Chrysostomo, qui diu per Armeniam exulavit, et ipse illustris Ecclesiae Doctor atque Episcopus fuit. Jam vero quantum emolumenti ex hisce Gregorii Illuminatoris laboribus universae rei litterariae obvenerit, vel inde patet, quod multa Graecorum Scriptorum Opera in Armeniacam linguam tunc versa fuerint, ex quorum Codicum collatione nunc temporis, scilicet post litterarum instaurationem, complura errata, quae in Graecis Codicibus irrepserant, emendata esse potuerunt, ac restitutae lacunae. Hujus rei exemplum habemus in emendatione Chronici Eusebii Pamphili a Scaligero evulgati, quae facta est per Editionem Codicis Armeniaci, quam hisce nostris temporibus exhibuit curavitque Angelus Mai (postea amplissimus, atque insignis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, quem duobus ab hinc mensibus e vivis ereptum dolemus, diuque dolebit respublica litterarum) collatis studiis cum Armeno Zohrab; necnon per aliam ejusdem Codicis Editionem, quam curavit Armenus Aucher.

Ad memoriam item revocate, Auditores, Angliae populos ante Sextum Ecclesiae Saeculum rudes, atque efferatos fuisse suamque cultionem Sancto Gregorio Magno debuisse qui missis in Britanniam Augustino aliisque monachis, eam insulam ita excoluit, erudivitque, ut cum po-

litioribus potuisset Nationibus comparari: atque utinam secutis temporibus Catholicam et avitam non deseruisset fidem, quantum felicior illius gentis foret conditio! Nonne Hibernia ope Patritii sui Episcopi emersit ex barbarie? Nonne Thuringi, Saxones, aliique Germaniae populi suam culturam acceptam referunt Gregorio II. Summo Pontifici, qui misso illuc Bonifacio, dispulit ignorantiae tenebras, quibus populi illi erant obvoluti?

Sed jam ex Septentrionis latebris erumpentes Hunni, Alàni, Vandali, Gothi, Longobardi, aliaeque barbarae efferataeque gentes Italiam, immo Europam fere universam pervadunt. Ubique clades, undique strages, armorum strepitus, furor insectantium, clamor dolentium, pavor civium. Squalent, abductis discipulis, gymnasia: desolantur, amandatis ad bellum juvenibus, scholae; derelictae remanent litterariae palaestrae: scientiis, musis, studiis nullus conceditur honos. Invadunt grassantes milites bibliothecas, archiva, tabularia: libri, codices, membranae diripiuntur, atque in viis et compitis publice flammis donantur; illa inquam volumina, quae admirandam Graecorum, ac Romanorum sapientiam continebant, vel Poëtarum carmina digna cedro, et levi servanda cupresso, aut Sanctorum Patrum Opera, doctissimorumque

Ecclesiae Scriptorum Disquisitiones, Tractationes, Commentaria habebant exarata, aut demum Conciliorum Acta descripta servabant. Ehu miseranda litterarum illius aevi conditio! Sed quo tunc temporis se receperunt litterae, nisi apud eos, qui erant Sacris ministeriis mancipati; quandoquidem, ut olim monuit Propheta (*Malach. II. 7.*) labia Sacerdotis scientiam custodire teneantur? Scio et Sacrorum virorum doctrinam satis remissam ac tenuem ea tempestate fuisse, si ipsa cum prioribus Saeculis conferatur; sed si homines illius aetatis inspiciantur, aliqua saltem disciplinarum vestigia ac rudimenta apud Ecclesiae ministros unice viguisse constabit. In Asceteriis autem, ac Monasteriis, vidisses Coenobitas illos sollerter subtrahere grassatoribus Codices, vel Codicum partes, aut membra discissa; diligenter conquirere, vel etiam subripere de barbarorum manibus, aut ex ipsis flammis semiustas chartas, quas prius in pluteis, ac forulis caute custodiebant, postmodum vero in ordinem redigebant, ac tyronibus dabant exscribendas. Haec porro fuerunt germina, ex quibus post luctuosam illam catastrophen repullulavit refloruitque litterarum cultura, ac scientiae disciplinaeque rursus sunt ad vitam revocatae. Ecquis ergo vestrum, Auditores, diffitebitur, admirabilem illam ac faustam, qua gaudemus, litterarum instaurationem esse beneficio Christianae Religionis adscribendam?

Vix discussa paullisper ignorantiae caligine, iterum apparet Doctorum series qui omnes animi nervos intendunt, quo scientiae disciplinaeque promoverentur suoque forent in lumine collocatae Atque heic praesertim nominare possem duos illos Cantuarienses Episcopos, quorum uni alter successit, nimirum Lanfrancum, ejusque discipulum Anselmum; insuper Alexandrum de Hales, Albertum Magnum, Bonaventuram, aliosque sexcentos. Sed pro omnibus sat erit concelebrare hujus Archi-gymnasii, totiusque Neapolitani nominis decus et ornamentum, Angelicum, inquam, Doctorem Thomam Aquinatem. Nullum ferme extat argumentum, ac disquisitionis genus, non modo ad Sacram Scientiam, verum etiam ad naturales disciplinas spectans, de quo ipse in suis Operibus non egerit; idque ea perspicuitate, soliditate, atque ingenii acumine, ut nihil supra in humano intellectu possit cogitari. Neminem fugit, Thomam summum fuisse Theologum, uti se praefert in Summa Theologica, et in suis Commentariis in Magistrum Sententiarum; strenuum fuisse Christianae Religionis Apologistam ac defensorem, uti se demonstrat in Summa contra Gentes; acutissimum fuisse Metaphysicum, ut patet tum ex laudatis Operibus, tum ex ejus commentariis in libros decem *Metaphysicorum* Aristotelis, et ex suo Tractatu *de ente et essentia*, necnon ex sua Expositione in librum *de causis*: sed in eo viro

tu non conjectasses talem Politices amplam cognitionem, qualem ipse exhibet in Tractatu *de regimine Principum*, et in suis Commentariis in libros octo *Politicorum* Aristotelis; nec suspicareris eas Mathematicas cognitiones, quales inveniuntur in suis Commentariis in Libros *Perihermenias*, et *posteriorum analyticorum*; aut eas Physices doctrinas, quales exponit in suis Commentariis in libros octo *Physicorum* Aristotelis, in libros quatuor *de coelo et mundo*, in duos libros *de generatione*, in quatuor *Meteororum* inscriptos, atque in librum, quem idem Graecus Philosophus elucubravit *de parvis naturalibus*. Neque vero quemquam moveat, quod nonnullae opinionesad Physicam spectantes, quas Doctor Angelicus tenuit, ab hodiernis fuerint Philosophis rejectae; id enim vitio illius aetatis vertendum est; immo potius Aquinatis perspicaciam demirari debemus, cum ipse permultas in rebus physicis sententias, novis accedentibus experimentis, fortasse emendandas fore, praenuntiaverit.

Sed quot ex Christiana Religione accessiones et incrementa habuerint scientiae disciplinaeque omnes, clarius ex earum recensione patebit. Age jam itaque, singula doctrinarum genera percurramus. Et ut initium ducam a Metaphysica, quae est aliarum scientiarum veluti clavis, aut janua, nemini incompertum esse autumo, praecipuas hujus Scientiae veritates eas

esse, quae respiciunt Dei existentiam, et unitatem, ejusque attributa, et providentiam, necnon mundi creationem ex nihilo, neque in aeternitate, sed in tempore a Deo factam; insuper animae humanae naturam simplicem ac spiritualem, ejusque immortalitatem, aliasque id genus. Jam vero hujusmodi veritates nobis per Dei revelationem innotuere. Neque dicas, has veritates a Philosophis haud quidem ex Dei revelantis auctoritate sed per naturales rationes demonstrari; id enim faciunt postquam lumen Revelationis affulsit. Porro aliud est aliquid invenire, aliud quod inventum est demonstrare: primum difficile, facile alterum. Sic idem non est alicujus aedificii ideam atque architecturam animo concipere, et conceptam perficere: idem non est vias sternere, planas, rotabiles reddere, ac per vias jam inventas, stratas, apertas iter habere. Difficile est, rem in ignoto loco, in conclavi obscuro sine lumine invenire; at non tam difficile, admoto lumine, illam reperire, etsi lumen ipsum postquam videris, removeatur. Ita est de illis, quas indicabam, veritatibus: Philosophi jam per Dei revelationem eas cognovere, cognitis vero, earum nexum ac demonstrationem invenere, nunquam forte inventuri, nisi eas indicasset Revelatio, ut ipse Lokius inter Metaphysicos acutissimus argumentatur in Opere, cui titulus *Christianismus rationabilis*. Re sane vera Pagani illi Philosophi,

tametsi doctissimi, ut Socrates, Pythagoras, Plato, atque ipse Aristoteles, quot errorum portenta non effutivere, ut merito pronuntiaverit Varro, *nullum aegrotum* febri aestuantem *somniare quidquam tam infandum*, *quod non aliquis dixerit Philosophus?* Constabilitis autem veritatibus illis, quae sunt veluti ipsius Metaphysicae cardines, libuit Philosophis etiam illas disquirere notiones, quas metaphysicas lautitias cupediasque dixerim, ut exempli gratia rationem, qua ideae in mente gignuntur, aliasque id genus investigationes.

Quod vero ad Jurisprudentiam pertinet, quid illa Christianae Religioni debuerit, vel ex hoc patet, quod eae Paganorum leges, quae velut omnium sapientissimae habitae sunt, illae nimirum quae a Solone, et Licurgo celebratissimis Legumlatoribus latae sunt, sicuti illae, quas condidit Plato pro Republica a se excogitata (uti cernere est in ejus Lib. V. *de Republica*), complura absurda, et contra Jus Naturae complectebantur. Quin etiam ipsum Jus Romanum, quod admirandae sapientiae opus aestimatum fuit, per Christi Religionem multis in partibus correctum emendatumque est. Cujus quidem rei veritas, ne plura ejusdem exempla congeram, vel inde satis superque liquet; tum quod Evangelii luce affulgente prorsus abolita fuit servitus, qua homo ratione praeditus velut

sua dignitate privatur, atque in animalium brutorum classem computatur; tum quod patria potestas, quae apud Romanos praeter modum, et ultra fas excreverat, per Jesu Christi Religionem justis fuit circumscripta limitibus. Plures autem hujuscemodi utilitates ex Christiana Religione profluxisse etiam ad Leges Septentrionalium populorum, qui Medio Ævo alias atque alias Europae regiones occuparunt, patet ex Codicibus jurium Visigothorum, Longobardorum, et Anglo-Saxonum. Quum vero Jurisprudentia, quae vulgo *Civilis* nuncupatur, cum Jure Ecclesiastico, sive Canonico, consociata fuerit, maximum inde acquisivit ac nacta est emolumentum. Quapropter quum in Bononiensi Studiorum Universitate ope Romanorum Pontificum splenduisset Jurisprudentia Canonica, floruit etiam *Civilis*, nullusque olim ferme dici potuerit veri nominis Jurisconsultus, nisi in Bononiensi Academia et Jurisprudentiam didicisset, et aliquod suae doctrinae specimen, facto tentamine, dedisset.

Quid autem incrementi ex Christi Religione habuerit Scientia Astronomica, cognosci poterit vel ex sola Kalendarii correctione facta a Gregorio XIII. ope Aloysii Lilii Calabri (quem utpote nostratem ad Neapolitani nominis gloriam nomino) ut praeversus temporum ordo restitueretur. Itaque celebriores, quotquot aetate illa

erant, Astronomos laudatus Pontifex Romam accivit, vel absentes consuluit, eisque astronomicos Lilii calculos expendendos commisit; cumque illi opus probassent, feliciter, summoque omnium plausu emendationem Kalendarii a Julio Caesare statuti absolvit, atque antegressum temporum ordinem restituit, praefinitis etiam regulis, quo in posterum hujuscemodi vitarentur incommoda. Quot vero Opera a doctissimis Mathematicis in lucem edita sunt, ut Kalendarium ejusque emendationem illustrarent, quemadmodum Opus illud a Clavio elucubratum, et alia, tot accessiones Scientiae Astronomicae, ac Mathesi factae sunt. Horum laborum fructus fuit, regulas tradere adeo expeditas ac planas ad temporum supputationem, ut hodie quisque alumnus, qui eas didicerit, possit Pascha cujuslibet anni invenire, atque ordinem Festorum, quae a Paschate derivantur quod olim ex toto terrarum orbe soli Alexandrino Patriarchae erat reservatum. Nonne hos progressus Astronomica scientia Christianae Religioni acceptos refert?

Sed heic video nonnullos mussitare ac susurrare, nescio quid obtendentes quod assertioni meae adversetur. Obganniunt, Galilaeum Philosophum divexatum, molestiis affectum, atque in vincula conjectum, eo quod Copernicanum systema tueretur, quod aliquibus ea aetate videbatur Sacrarum Scripturarum oraculis esse

contrarium. Proh quot falsae criminationes super hac re venditantur, gliscente praesertim saeculi vertigine! Verum enimvero Galilaeum accitum quidem fuisse a Romana Inquisitione, ut illius systematis rationem redderet, sed perhumaniter, omnibusque observantiae significationibus exceptum, ipsemet fatetur in suis Epistolis, quas evulgavit Fabbronius. Ceterum si quid molestiae ob eam causam passus est Galilaeus, id ex sua imprudenti mordacitate repetendum. Nam Nicolaus Copernicus, a quo illud Planetarium systema nomen accepit, quique etiam in Italiam venit, ac diu Bononiae moratus fuit, nihil quicquam fastidii expertus est, et in Germaniam rediens Canonicatu auctus fuit in Civitate Warmiensi. In insequenti vero anno ab illis cum Galilaeo exortis quaestionibus, quum Bononiae, quae in ditione est Romani Pontificis, Cathedra Astronomiae in illa Studiorum Universitate vacaret Professore ob Maginii mortem, ad eam moderandam ac regendam accitus fuit Joannes Keplerus (licet is peculiaribus de causis munus illud recusaverit); atqui Keplerus non modo ejusdem opinionis, atque Galilaeus, sectator extitit verum etiam primus fuit qui aperuerit leges motus orbium caelestium, quae Copernicano systemati praecipuum suppeditant fulcimen. Quin et ante Keplerum, Galilaeum, et Copernicum duobus retro saeculis Ni-

colaus Cardinalis Cusanus Calaber (quod pro patria nostra memoratu dignum est) primus fuit qui ad vitam revocaret eam Pythagorae sententiam; Pythagoras enim ex veteribus Solem fixum esse atque immotum, Terram vero, aliosque Planetas circa ipsum circumvolvi, atque orbitas suas peragere, existimavit: neque vero Cusanus aliquid mali passus est, immo perhonorifice habitus, et a Nicolao V. Cardinalis Sanctae Ecclesiae creatus fuit. Videte igitur, Auditores, quid ex Galilaei casibus colligi possit contra meam assumptionem.

Quid autem de Physica dicam? Sufficiat hoc unum memorare, Joannem Jacobum Scheuchzerum edidisse quatuor praegrandis molis volumina ad pertractandas non alias quam physicas quaestiones, de quibus in Sacris Bibliis fit mentio; quod quidem opus inscripsit *Physica Sacra*. Item Franciscus Vallesius librum edidit de iis quae scripta sunt physice in Libris Sacris; Joannes de Mey Opus elucubravit cui titulus *de sacra Physiologia*, ubi pariter omnes Physicas quaestiones pertractat, de quibus in Sacris Litteris occurrit mentio; Levinius Lemnius erudissime disserit de plantis, quae in Sacra Scriptura commemorantur; Franciscus Ruaeus de gemmis, de quibus ibidem fit sermo; Samuel Bochartus doctissime disputat de animalibus sacris in suo Hierozoico. Quot auctibus

Scriptores hi, aliique, Physicas disciplinas in omnibus earum partibus non cumularunt?

Quid quod Chemia per Christi Religionem aucta et ipsa fuit? Hujus quidem rei ne longus sim, unum exemplum speciminis loco adduco. Cum in Exodi Capite XXII. legatur, Mosen contrivisse vitulum aureum, quem Hebraei in deserto adoravere, ipsumque in pulverem redactum sparsisse in aquam, atque ex eo dedisse potum filiis Israël, Georgius Ernestus Stahlius nobilissimus Chymicus omnes animi sui nervos intendit, ut rationem invenisset qua aurum ita solvi possit, ut potabile redderetur; factisque expementis, id per sulphur fieri posse, detexit: quae quidem ars antea Chymicis ignota erat, sed potuit aetate Mosis nota esse in Ægypto. Porro Stahlii inventum, repetitis experimentis, probavere alii recentiores non infimi subsellii Chymici, ut Senacius, Baronus, Macquerus, Rovellius, aliique. En igitur nova accessio Chemiae facta ex occasione explanandi Sacram Scripturam. Sic et aliae, quas silentio praetermitto.

Ad Medicinam quod spectat, quantum ipsa progressus suos Christianae Religioni debuerit, quisque intelligere poterit, qui perpenderit, per eam Religionem factam fuisse potestatem dissecandi hominum cadavera, quod aeque vetitum fuit Hebraeis ob legales eorum praescriptiones, et Paganis ob suas superstitiones. Porro quan-

tum anatomicae dissectiones ad Medicinae incrementum contulerint, nullus est qui non videat: iis enim ablatis, neque humani corporis structura satis cognita esse potest, neque *pathologicae* abnormitates, nempe quae in eo a morbis derivantur, perspectae haberi queunt, proindeque ipsis morbis minime apta possunt applicari remedia. His adde, apud Graecos, et Romanos exercitam non fuisse Medicinam, nisi a servis, quod mire quantum hanc salutarem scientiam penes eos depresserit. Ipsa autem suam obtinuit dignitatem beneficio Christianae Religionis, quae maximi quidem momenti eam rem esse praedicat, ac medicum honore dignum esse, ut Scriptura hortatur (*Eccli. XXXVIII. 1.*) insinuat. Accedit quod quum in Sacris Codicibus de aliis atque aliis morborum generibus fiat mentio, sapientissimi quidam artis medicae Scriptores opportunitatem inde arripuerunt erudite de iis disserendi, ut Franciscus Vallesius, Thomas Bartolinus, Christianus Varlize, Conradus Johren, Guillelmus Ader, Georgius Wolfgangus Wedelius, Valentinus Henricus Vogler, Jo: Simeon Lindinger, Richardus Mead, aliique.

Ipsa quoque Architectura multum emolumenti ex Christi Religione percepit, tum quia in construendis Christianorum Templis mirifice refulsit; tum quia Scriptores plurimi in describendo Salomonis Templo doctissima ediderunt Ope-

ra, in quibus perbelle architectonices regulas exposuerunt, atque aedificio illi applicarunt; inter quos eminent Hieronymus Pradus, et Joannes Baptista Villalpandus.

Silentio praetereo Geographiam, quae non parum incrementi accepit tum ab iis, qui ad disseminandum Christi Evangelium alias atque alias mundi regiones inaccessas, et antea ignotas penetrarunt, ac peragrarunt; tum ab iis qui loca sancta perlustrarunt, aut de ipsis erudite scripserunt. Taceo Historiam, quae non modo totius humani generis originem, verum etiam ipsa diversarum Nationum primordia ex Sacris Codicibus hausit. Nihil addo de Archaeologia, quae primaevas origines rituum, consuetudinum, morumque diversorum populorum, frequenter ex ritibus moribusque Hebraeae gentis, aut veterum Patriarcharum, repetit, ac deducit.

Demum quod ad humaniores litteras pertinet; nonne Ars Oratoria mirum in modum aucta fuit per Sacram Eloquentiam, id est per verbi Dei praedicationem, praesertim in Sacris Concionibus? Ad mentem revocate illa eloquentiae flumina, nimirum inter Graecos Gregorium Nyssenum, ac Basilium; praecipue vero Joannem Chrysostomum, qui Demosthenes Christianus fuit nuncupatus; atque inter Latinos Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Chrysologum, Leonem Magnum, aliosque. Rememoramini Tertullianum,

qui in Apologetico, et in aliis suis, quos Catholicus scripsit, tractatibus, novo quodam dicendi genere vehementi et concitato, singulis verbis, veluti sagittis, acutisque telis adversarium configere videtur. Quod vero ad Poësim spectat, nonne ipsa probe exculta fuit a Christianis Scriptoribus, praesertim Gregorio Nazianzeno, (qui plura edidit haud spernenda carmina), Damaso Romano Pontifice, Ambrosio, Prospero, Paulino, Prudentio, Juvenco, Sedulio, Venantio Fortunato, Dracontio, Theodulpho Aurelianensi, aliisque? Post litterarum vero instaurationem nonne ex Christianae Religionis penu desumpta fuere primae celebritatis Poëmata, qualia sunt illa, quae ediderunt Danthes Aligherius, Torquatus Tassus, Miltonus, Klopstochius, aliique? Neque vero Christi Religio sprevit profanos illos Scriptores, qui in suis Operibus exemplaria nobis reliquerunt ad eleganter politeque scribendum, quae Horatius in Arte Poëtica hortabatur, nocturna versare manu, versare diurna. Et sane ipse Paullus in ea, quam habuit in Atheniensium Areopago, allocutione, et alibi pro re nata, non indignum judicavit Ethnicorum Poëtarum, Arati videlicet, Menandri, et Epimenidis testimonia proferre. Nonne profanos illos Scriptores diebus ac noctibus manibus versarunt, eorumque testimonia saepenumero in suis Operibus

adduxerunt Ecclesiae Patres, praesertim Clemens Alexandrinus, Hieronymus, et Augustinus? Scio, Brukerum criminatum fuisse Gregorium Magnum Romanum Pontificem, quod comburi jussisset omnes Paganorum libros, qui in Bibliotheca Vaticana asservabantur; quod quidem ex Joannis Sarisberiensis testimonio evincere nititur, ut Pontificem illum elegantiores politioresque litteras flocci fecisse suadeat; sed eam criminationem omnino falsam esse, invicte demonstrarunt, fabulamque exsibilarunt Gradenigus, et post eum Tiraboschius. Neque vero ullius ponderis hac in re aestimari debet auctoritas Joannis Sarisberiensis, utpote longe sequioris aetatis, nec satis emunctae naris; quum contra ex ipsius Gregorii elocutione, eum amoeniores non respuisse litteras, neque incultum, rudemque fuisse, constet. Fuerunt nonnulli hac nostra tempestate, qui intemperanti quodam erga Religionem ardore abrepti, contendebant eliminari e manibus adolescentium Ethnicos Latinos Scriptores, illisque substituere quorumdam Patrum Ecclesiae libros, in quibus multa quidem utilia, ac pia continentur, sed frustra quaereres Latinae linguae puritatem, ac sermonis elegantiam, quae in Cicerone, Livio, Virgilio, Horatio, aliisque aetatis Augusti Scriptoribus inveniuntur. Jam ferventes super hac re controversiae agitabantur, praeser-

tim in Galliis, ubi plures esse solent, quibus ex propria indole modum in rebus excedere lubet. Tandem res perducta fuit ad judicium Romani Pontificis; ac Pius IX. (qui nunc Petri Cathedram tenet, et quem Deus diutissime bono Ecclesiae servet incolumem) in Epistolâ Encyclica ad Galliarum Episcopos missa pronuntiavit, haud eliminandos esse ex adolescentium manibus Ethnicos illos Latinitatis Scriptores, dummodo a suis obscoenitatibus, si quas habeant, expurgentur, ne quid detrimenti morum innocentia capiat.

Ecquis igitur, Auditores, ex his quae hactenus in medium protuli, non colliget, aut quisnam erit, qui adhuc affirmare subdubitabit, Christianam Religionem omnibus scientiis ac disciplinis incrementa dedisse? Quae cum ita sint, optimi adolescentes (ad vos enim mea nunc convertitur Oratio, vosque compello) strenuam in studiis atque in doctrinis perdiscendis navate operam: simulque amor erga Christi Religionem vos inflammet, ut animum ad pietatem inducatis. Ob oculos ponite Ferdinandi II Pii Felicis Augusti Regis nostri providam diligentiam, qui totus in eo est, qua praesidiis comparandis, qua praemiis proponendis, ut in scientiis ac disciplinis proficiatis; sed pari sollicitudine studet, ut pietas, atque amor erga Christi Religionem altas in a-

nimis vestris radices agant. Hinc Sacrum Sodalitium in ipsis hujus Archigymnasii aedibus erectum esse voluit, ut pabulo verbi Dei, ac Sacramentorum alimento pietas in animis vestris indesinenter nutriatur et crescat. Quo vero ante oculos versaretur exemplar nostratis, qui doctrinam cum pietate mirifice conjunxit, hanc Studiorum Universitatem sub tutela poni S. Thomae Aquinatis, atque ejusdem Professores argenteo numismate aurato, in quo illius Angelici Doctoris effigies sit sculpta, condecoratos esse, nuper jussit. Has igitur patris amantissimi curas excipite, huic sollicitudini respondete. Illud autem vobis persuasum habetote, eos viros, in quorum animis fervet Christi Religio, haud quidem ex ea praepediri ad studiorum curriculum conficiendum; quin potius ad cujuslibet generis disciplinas excolendas, ab ipsa incitari, ac promoveri. Dixi.